



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Cap. I. De Cultu interiori Cordis Jesu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

Jam quod attinet ad exteriorē: quum actiones quibus constat oculis omnium pateant, cunctis quoque fidelibus notæ sunt; nec egent peculiari explicatione. Hoc solummodo advertere juvat: certas quasdam actiones ita esse proprias & affixas quibusdam officiis particularibus, ut cæteris accommodari non possint: quemadmodum formulæ precationum particulares, litanix, corollæ precatoriæ, imagines, confraternitates, &c. Alias vero, quæ quum natura sua sint communes, propriæ tamen redduntur officiis particularibus, ex intentione operantis. Tales sunt Novendialia; Templorum additiones; Altarium & Incensularum ornamenta; auditio Missarum; Sacramentorum susceptio; Eleemosinæ; opera penitentiæ, charitatis, humilitatis; &c. uno verbo omnes illæ actiones exteriores ad cultum exteriorē pertinere dicendæ sunt, quæ cultus interioris hîc & nunc vera signa sunt: undecumque demum hanc significationem habeant. Igitur quum in hocce libro tractandum suscipiamus de usu ac praxi cultus Cordis Jesu, omnino necessarium est, ut de duplici illo genere cultus, interioris videlicet & exterioris, Cordi divinissimo proprie convenientis, breviter differamus.

CAPUT I.

De Cultu interiori Cordis JESU.

EX his quæ mox præmisimus, consequens est ut dicamus, cultum interiorē Cordis Jesu consistere, ex parte quidem intellectus, in cognitione excel-

R 2

len-

lentiæ hujus divinissimi Cordis. Scilicet quæ sit illius dignitas, sanctitas, sublimitas? Qui gratiarum thesauri in eo reconditi? Quanta pro Dei gloria, hominumque salute toleraverit? Quam divinissimæ Trinitati charum sit & acceptum? Quam fidelibus omnibus amabile? Uno verbo quam dignum amore nostro ac veneratione suprema? Ex quibus omnibus enasci oportet infinitam quamdam æstimationem hujus sacratissimi Cordis. Hoc primum totius cultus fundamentum est. Porro hæc omnia fusc profecuti sumus c. 1. l. 2.

Hæc igitur prima cura sit studiosorum Cordis Jesu, ut has cognitiones acquirant, & intellectum applicent ad ea considerata, penitusque comprehendenda quæ dicto capite continentur. Quod non nuda lectione; sed meditatione, ac præsertim oratione, & cultus ipsius exercitatione consequentur.

Intellectu ita comparato facile sequentur quæ ad voluntatem pertinent; nimirum affectiones, infinitæ Cordis Jesu excellentiæ respondentes. Supremæ namque illius dignitati suprema debetur adoratio. Summis ejusdem prærogativis ac perfectionibus admiratio, glorificatio, laus. Amori immenso amor mutuus. Beneficiis ex eo in nos profectis æqua gratiarum actio. Misericordiæ fiducia. Virtutibus quarum sedes est imitatio. Injuriis quibus violatur violati honoris reparatio. Et ita de cæteris.

Præterea quum nulla sit res, Deo Patri hoc divino Corde charior: hoc ipso Corde apud eum utimur, ut omnes nostras actiones infinitæ ejus majestati gratas
&

& acceptas reddamus: quicquid seu agimus, seu patimur, actionibus, perpeſſionibusve hujus ſacroſancti Cordis conjungendo. Per Cor Jeſu Deum adoramus, laudamus, amamus, beneficia poſcimus, gratias agimus, divinæ voluntati nos ſubjicimus, veniam delictorum petimus, &c. Denique quod huic pio officio maxime proprium eſt, conſiderantes amorem immenſum quo Cor Jeſu erga homines ardet, ſimulque perpendentes injurias eidem ab ingratis hominibus illatas; & noſmetipſos in hoc ingratorum numero eſſe ſentientes, pudore ſuffundimur, dolore afficimur, veniam ſummiſſime precamur, noſque illi abjicientes juſtam quam requirit expiationem, intimo pectoris ſenſu quoad poſſumus adhibemus. Quem præcipue honorem Cordi ſuo deferri Jeſum maxime cupere, ex tota hujus SS. cultus ratione aperte conſtat.

His ſi adjungatur ex parte memoriæ frequens ac familiaris diviniſſimi Cordis recordatio, ita ut actiones illæ omnes, ſeu exercitia interiora huic colendo propria, in uſum ſæpiſſime deducantur; tunc perfecte & ex omni parte conſtabit cultus interior; & in externum neceſſario diffundetur. Porro afferemus paulo poſt documenta & exercitia virorum ſanctorum, quibus totum hoc quod de cultu interiori breviter hîc attigimus egregie confirmabitur, fuſiusque explicabitur.